



## **Commentariorum ac disputationum, in tertiam partem divi Thomae tomi quinque**

Accvratam Qvæstionvm D. Thomæ, Ab LXXXIV. Vsqve ad finem: &  
Disputationum de virtute Pœnitentiæ, De Clauibus, De Sacramentis  
Pœnitentiæ, & Extremæ Vnctionis, De Purgatorio, Suffragiis & Indulgentiis,  
expositionem complectens : Accesserunt Indices quinque: ... Postremus

**Suárez, Francisco**

**[Köln], 1616**

Disputatio VI. De actu exteriori pœnitentiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-93815](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-93815)

currerit illa obligatio cum sufficienti aduertentia a  
ad illam.

*Quartus modus.*

**Q**uartus & vltimus modus huius mutationis ef-  
se potest per additionē alicuius actus interio-  
ris, vt v.g. si homo prius habeat dolorem de peccatis  
ex mera virtute pœnitentiæ absque vilo actu elicito  
charitatis, ille erit tantum attritio, vt supra dictum  
est: si vero vltra hunc actum addat alium amoris  
Dei super omnia, in quem referat illum eundem do-  
lorem, ille incipiet esse contritio, quia iam est do-  
lor de peccato propter Deum summe dilectum: ergo  
hoc modo potest attritio fieri contritio. In quo  
(vt tollatur quæstio de nomine) certum est illū ho-  
minem manere sufficienter dispositum ad gratiam,  
vt argumentum probat: quod ita verum esse tenseo,  
vt illi homini non maneat obligatio habendi, vel  
procurandi postea perfectiorem dolorem. Quod  
fortasse non ita esset, si ille dolor fuisset tantum ob  
metum gehennæ, vel ob inferiorem aliam rationē:  
ille enim excedit in hoc, quod est verus actus iusti-  
tiæ, & pœnitentiæ virtutis, & detestatio iniurię diui-  
næ, quatenus talis est. Et ideo ex parte doloris suffi-  
cit, si adit etiam amor sufficiens.

<sup>12</sup>  
Contritio  
duplex

Hoc autem in reposito, quæstio videtur de no-  
mine. An illa dicenda sit vera contritio, necne. Pos-  
sumus autem distinguere duplicem contritionem,  
vnam propriam, quæ est per simplicem actum do-  
loris in se virtute includētis amorem: & de hac, quæ  
propriissima est, locuti sumus hætenus, & nulla at-  
tritio potest in talem cōtritionem mutari, & de hac  
procedunt rationes superius factæ. Alio tamen mo-  
do latiori potest vocari contritio, quæ composita est  
ex pluribus actibus, dolore scilicet, & amore: & in  
hac significatione potest illa vocari cōtritio. Si quis  
tamen aduertat, quod etiam supra Medina in sinua-  
uit, etiam in hoc sensu attritio non fit contritio, sed  
ex priore attritione cum sequente amore, coalescit  
quidam contritionis modus. Nam prior dolor nū-  
quam est ipse contritio, sed aggregatum illud seu  
cōpositū ex dolore, & amore appellatur talis contri-  
tio. Quod patet, quia non alia ratione sic vocatur,  
nisi quia est formalis dispositio sufficiens ad gratiam  
& remissionem peccati: sed prior actus nunquam fit  
sufficiens dispositio, sed ex illo cum amore confur-  
git: ergo nō prior actus solus, sed dispositio ex vtro-  
que constans dicitur contritio.

<sup>13</sup>  
Medina di-  
sum.

Addit vero Medina supra ex Aleksi, licet attritio  
non possit fieri contritio, posse tamē extrinsece par-  
ticipare honestatem cōtritionis per relationem ex-  
trinsecam, seu imperium, quod etiam dici possit de  
contritione respectu attritionis. Quod declaratur  
breuiter ex principiis. 1. quia actus vnus virtutis  
potest imperare actum alterius, vel referre in obie-  
ctum suum tanquam in finem illi extrinsecū, à quo  
habeat speciem accidentalem, quomodo elemo-  
sina v.g. potest imperari à pœnitentia, &c. sic ergo  
esse potest in proposito: est enim eadem ratio. Et ex-  
emplis facile patet: potest enim quis ex intentione  
satisfaciendi Deo pro culpa commissa, imperare sibi  
detestationem, vel dolorem propter pœnas inferni,  
aut ex odio offensæ diuinæ, vt sic imperare sibi  
detestationem seu odium ipsius malitiæ peccati pro-  
pter turpitudinem eius: & cōtrario ex intentione  
fugiendi pœnas inferni potest sibi imperare veram  
contritionem tanquā medium ad finem necessariū.  
An vero huiusmodi accidentalis specificatio sit ali-  
quis modus intrinsecus actui imperato per additio-  
nē alicuius realitatis quasi partialis; an vero sit de-  
nominatio extrinseca ab actu imperate, sicut est re-  
spectu actu exterioris, disputatur in prima secun-  
dæ: vtrumque enim est probabile.

Dices: Ergo saltem hoc modo attritio dicitur fie-  
ri contritio, & è conuerso. Respondetur hoc posse  
pertinere ad modum loquendi: simpliciter tamen  
negatur, cum quia attritio, & contritio significant  
proprie actus elicitos per modum intentionis, seu  
voluntatis absolutæ, quæ ex proximo obiecto suo  
speciem sortitur: sicut actus temperantiæ, quamuis  
imperari possit à charitate, non dicitur simpliciter  
fieri actus charitatis, sed cum addito actus impera-  
tus à charitate: sic in proposito solū dici poterit attri-  
tio v.g. imperari à contritione. Tunc etiam, quia  
quamuis idem actus, qui est attritio, intelligatur ac-  
cidentaliter participare honestatē contritionis, ita  
vt ex illa cum aliquo addito fiat contritio, in quo  
sensu proprie versatur hæc quæstio, & affirmatur  
ab auctoribus citatis, attritionem posse fieri contri-  
tionem; quod nos negamus eodem sensu: sed tota  
ratio attritionis supponitur, seu subternitur quasi  
materiale subiectum, & illi intelligitur addi accidē-  
tali ter honestas contritionis secundum quandam  
participationem.

Atque ex his tādē intelligitur, variis modis di-  
ci hominem proprie ex attrito fieri contritum. Pri-  
mo propriissime, quia mutat dolorem ex imper-  
fecto in perfectum. Secundo minus proprie, quia do-  
lori imperfecto addit amorem. Tertio latissime,  
quia sine mutatione actus illi infunditur gratia, &  
charitas, vt in sacramentis fit: tunc enim solum dicitur  
homo fieri ex attrito contritus, quasi æquiuale-  
ter seu quoad vltimum effectum contritionis, qui  
est gratia, & remissio peccati.

DISPUTATIO VI.

*De actu exteriori Pœnitentiæ.*



Quoniam materia proxima virtutum  
moralium sunt aliqui humani actus,  
ideo semper præter actus, quos im-  
mediate cum voluntate eliciunt, qui  
proprie dicuntur interiores, respectu  
illarum habent alios actus, quos impe-  
rant, seu ad quos eliciendos alias potentias, seu  
virtutes mouent, qui dicuntur exteriores respectu  
earundem. Et ideo, cum hætenus explicauerimus  
interiores actus pœnitentiæ, qui ab ea proprie eli-  
ciuntur, superest vt de exterioribus dicamus, quæ  
res breuior est, & facilior: tamen propter materiæ  
complementum, non potuit omnino prætermitti.  
Dicam ergo breuiter qualis, & quorū duplex hic actus  
sit.

SECTIO I.

*Vtrum virtus pœnitentiæ habeat aliquem actum  
exteriorem sibi proprium, & per se honestum.*

**A**ctus exterior virtutis quadam generali ratione  
dici potest omnis ille, qui non est elicitus à tali  
virtute, sed tantum imperatus. Talis enim actus ali-  
quo modo est extra talem virtutem quoad propriam  
& per se efficientiam eius. Et hoc sensu habet virtus  
pœnitentiæ actus exteriores: non solum in aliis po-  
tentis, sed etiam in ipsa voluntate. Quod explicatur  
in propria, & specifica virtute pœnitentiæ: & inde  
potest facile ad quamlibet applicari. Iuxta illū ergo  
loquendi modum, actus ipse charitatis, quatenus à  
virtute pœnitentiæ imperari potest, & in suum affe-  
ctum ordinari, est illa exterior, & multo magis actus  
intellectus interioris confessionis, seu recognitionis  
peccatorum, & actus etiam partis sensitivæ, siue sit  
directe imperatus, siue volutus ad satisfaciendum,  
siue sit concomitanter, siue consequenter excitatus  
propter naturalem sympathiam potentiarum eius-  
dem.

<sup>14</sup>  
Qui dicant  
tunc late a-  
ctus exterior  
res pœnitenti-  
æ.

dem anima corpori coniuncta. Hæc vero tam generalis vsurpatio actus exterioris, non est adeo vsitata, præsertim quoad illos actus: qui in ipsa voluntate manent: alij enim facilius illam denominationem recipiunt.

<sup>2</sup> *Qui sunt actus exterioris poenitentia proprii.*  
 Propriissimo vero, & vsitato modo actus exteriores vocantur, qui per exteriores facultates corporis exercentur. Et hoc etiam modo constat hanc virtutem habere exteriores actus: quia etiam hic actus externus potest esse accommodatus ad proprium munus, & officium poenitentia: unde potest impetrari à voluntate ex motiuo eius, atque adeo mediâte ipsa virtute. Hæc igitur ratione pertinet ad illam, vt actus externus eius. Solum est circa hoc aduertendum duplex esse munus huius virtutis. Primum est expellere, & omnino exipare peccatū commissum: secundum est, cauere futurum. Et ad vtrumque potest vti externis actibus: nam respectu futurorum pertinet ad hanc virtutem tollere omnes peccatorū occasiones, præsertim proximas, & morales. Item moderari affectus quantum possunt ad peccatum inducere. Huc etiam spectat restitutio, quam Theologi tribuunt poenitentia, sicut imperanti, & proprie non spectat ad satisfactionem commissi peccati, sed ad abolitionem ipsius peccati, seu continuationem eius, quæ esset in retinenda re aliena. Unde huiusmodi actus, qui respectu futurorum, proprie imperantur ex motiuo quasi secundario, quod est satisfacere pro pœna temporali debita ratione talis peccati, ad quem finem potissime ordinantur corporis afflictiones. Aliquando vero possunt imperari huiusmodi actus, etiam ex primario motiuo, nimirum ad impetrandam à Deo veram cordis conuersionem, qua deleatur culpa commissa: & hoc modo inter alios dicitur in Scriptura elemosyna redimere peccatum, quia est aptissimum medium ad impetrandam à Deo veram contritionem. Ad quod etiam plurimum iuuat oratio, & alij actus pietatis, qui omnes sub hac ratione ad hanc virtutem pertinent.

*Dubium, An poenitentia habeat proprium actum exteriorem.*

<sup>3</sup> **H**inc vero nascitur dubium actum in secunda parte tituli sectionis, scilicet, quia hinc sequitur, hanc virtutem nullum habere proprium actum exteriorem, neque immediate ab ipsa sola imperatum, quod videtur inconueniens, cum ipsa sit virtus moralis, & specialis, quæ propriam, & specialem debet habere materiam. Respondendum autem breuiter est, duobus modis posse dici actum exteriorē proprium alicuius virtutis. Primo & actu, & potestate, scilicet, quia ab illa sola, & à nulla alia imperari potest. Et hoc modo concedimus sequelam, nam omnes actus exteriores, qui huic virtuti possunt attribui, possunt etiam ab alijs imperari: imo regulariter loquendo, immediatius pertinent ad alias virtutes, vt restitutio ad iustitiā: elemosyna ad misericordiam, ieiunium ad temperantiā, & sic de alijs. Alio autem modo potest actus exterior dici proprius alicuius virtutis, vel secundum actuale motiuum, & imperium, vel secundum aliquam proprietatem, ratione cuius est magis accommodatus illi virtuti, quam alijs. Et hoc modo possunt hi actus exteriores dici proprii poenitentia: vel quia ipsa per se est sufficiens ad imperandos illos sine interuentu aliarum specialium virtutum; & quando sic imperat, illi actus erūt proprii eius, id est, solam illius honestate actualiter participantem. Vel etiā sunt isti actus proprii poenitentia, quatenus dolorem, & afflictionem inferūt, nā hæc proprietates taliū actuum est maxime accommodata ad finem poenitentia, qui est satisfacere pro peccato. Neque est necesse, vt hæc virtus habeat actum exteriorem sibi propriū, etiam priori modo, quia licet sit virtus specialis essentialiter, tamē

**A** causaliter, vt supra dixi, est quodammodo vniuersalis, & ideo vniuersalem habet materiam, licet sub propria, & speciali ratione illam attingat.

*Dubium, An actus proprii poenitentia sint honesti.*

**E**X quo facile expeditur vltimus punctus huius quaestionis de honestate horum actuum. Et ratio dubij esse poterat, quia actus maxime proprii huius virtutis inferunt nocuumentum corpori, & ideo videntur esse & rationi, & naturæ contrarij. Propter quod aliqui hæretici generaliter damnarunt omnes hos actus, præsertim ieiunia, & alias corporis afflictiones. Alij vero peculiariter reprobant hos actus, quatenus hunc ex poenitentia, quia cum negare non possint esse vitales ad alias virtutes, vt ad castitatem, & similes, negant posse licite exerceri ex fine poenitentia: quoniam venia peccati non ex nostris operibus, sed ex sola Dei misericordia expectanda est. Sed contra primum errorem agendum est in materia de ieiunio, & videri potest Bellar. lib. 2. de Bonis operibus cap. 11. & lib. 4. de poenit. c. 3. Nobis sufficit testimonium Pauli 1. ad Corin. 9. *Castigo corpus meum, &c.* Contra secundum errorem dicendum est infra in materia de Satisfactione. Nunc sufficiunt etiam frequentes exhortationes Scripturæ ad huiusmodi actus, etiam quatenus poenitentia sunt, vt loel. 2. lob. vlt. Matth. 11. & alias sæpe. De quo etiam extat definitio Tridentini sess. 14. can. 13. Sunt ergo hi actus per se honesti.

**E**st autem aduertendum duobus modis posse intelligi actum exteriorem esse per se honestum. Primo, quia ita habet intrinsecam honestatem, vt nulla ratione possit male fieri. Et hoc modo nullus est actus exterior proprie dictus, id est ex iis, qui per corpus exercentur, qui hoc modo sit honestus: quia cum nō habeat in se honestatem formalem, sed obiectiuam tantum, potest à voluntate exerceri, non propter honestatem eius, sed propter alium finem extrinsecum non bonum, & tunc talis actus, prout in re ipsa exercitus, malus est, etiam si alias ex genere suo bonus videatur. Alio ergo modo potest dici actus exterior per se honestus, quia in se habet sufficiens vt de honeste appeti & fieri possit, etiam si ab extrinsecis sine honestate non medicet. Et hoc modo dicuntur actus, vt ad poenitentiam pertinentes, per se honesti, quia ex se habent proportionem sufficientem cum proprio motiuo, & obiecto poenitentia, quod honestum est. Neque inferunt graue nocuumentum, si prudenter fiant, vt fieri debent: neque etiam tenetur homo iure naturæ omnia incommoda corporis vitare, sed honestissime potest illud aspergere, & asperere tractare, quantum ad virtutem, vel perfectionem eius oportuerit, de quo videri potest Victor. in relect. de Temperantia. Quomodo autem ex nostris operibus expectare possumus remissionem culpæ, aut pœna, tractatur late in materia de Gratia. Primo enim, ac præcipue hoc tribuendum est gratia: nostris autem operibus ab illa manantibus in suo genere: remissio enim culpæ solum est ex misericordia Dei respiciente nostrum actum, vt dispositionem: remissio autem pœna temporalis, quæ sit homini iam grato, etiam est ex iustitia, vt infra latius in materia de Satisfactione.

SECTIO II.

*Quomodo sit huiusmodi actus.*

**H**ic explicabo breuiter nonnullas diuisiones actus poenitentia, omisis his, quas D. Thom. attingit infra quaest. 90. quoniam illas in commentariis illius quaestionis explicabo. Et in primis supponenda est illa partitio, seu numeratio partium poenitentia, quam probauit Tridentinū sess. 14. c. 3. in contritio

*Bellarmin. Paul. 1. Corin. 9. Iob. Ma. 11. Trident.*

*Dupliciter actus exterior potest esse bonus sicut.*

*Quomodo actus exteriores poenitentia dicuntur honesti.*

*Victoria.*

*Prima diuisio actuum poenitentia.*

tritionem, confessionem, & satisfactionem, quae proprie datur de partibus materialibus sacramenti & sub ea ratione infra tractanda est. Nunc autem breuiter accommodari potest ad ipsam virtutem penitentiae: nam omnia illa membra possunt locum habere, etiam absque sacramento, vt de contritione satis haecenus dictum est. Nec membrum illud ad praesentem disputationem pertinet, quia contritio solum interior actus voluntatis esse potest. At vero confessio, & satisfactio, tam in interiori actu, quam in exteriori possunt inueniri: datur enim mentalis confessio, quae soli Deo fit, & proprie est actus intellectus, scilicet recogitatio, & recognitio peccatorum: de qua supra de recogitatione ageres, quae est ad contritionem necessaria. De qua Plal. 31. Dixi, Confitebor aduersum me. Satisfactio etiam fieri potest per interiorum actum, non solum quoad culpam eo imperfecto modo, qui a nobis praestari potest per contritionem, sed etiam quoad poenam, vel per actum ipsius voluntatis praesertim per dolorem, vel etiam per actus intellectus, maxime per orationem.

Psalm. 31.

Matth. 13.

In exterioribus autem actibus (quod proprie ad rem praesentem pertinet) potest inueniri confessio peccati, etiam extra sacramentum: qualis erat illa, quam Iudaei faciebant coram Ioanne Baptista dum confitebantur peccata sua: & in lege veteri, dum offerrebantur sacrificia pro peccatis, fiebat Sacerdoti aliquis confessio peccati. Et nunc etiam dicunt Theologi, in articulo necessitatis, quando non est copia Sacerdotis, posse peccatorem confiteri laico, non quidem sacramentaliter, sed exercendo quandam actum virtutis penitentiae, qui ordinari potest, vel per modum medicinae ad curanda peccata commissa, & caueda futura, petendo consilium, vel ad excitandam interiorum confessionem, & contritionem. Denique ille actus potest etiam esse satisfactorius, quatenus poenalis est, & afflictionem, & erubescendum causat. Et secundum hanc rationem solum distinguitur ab externa satisfactione tanquam particularis quid a communi, scilicet, per designationem cuiusdam particularis materiae, & actus, qui propter peculiarem rationem suam distincte, seu expresse numeratur.

Satisfactionis exterioris diuisio.

Satisfactio autem exterior per varios actus exerceri potest, qui a Theologis ad tria capita reuocantur, scilicet ieiunium, elemosynam, & orationem: quibus aliqui addunt restitutionem, sed non est necessarium quia, vt iam insinuauimus, restitutio, vt sic, non fit ad satisfaciendum pro peccato commisso, sed ad tollendum statum peccati: tum etiam propter rationem quam statim subiiciam. Illa enim tria membra non sunt in praesens sumenda, vt per solos illos tres actus in rigore sumptos fiat satisfactio: nam certissimum est aliis etiam fieri: & ideo Concilium Tridentinum, sess. 14. canone 13. numerans illos tres actus, addit, Et per alia pietatis opera. Numerantur ergo vt per quandam reductionem omnes alij ad hos reuocentur. Sunt enim tria genera bonorum, externorum, corporis, & animae, & per vsum omnium possumus Deo satisfacere. Elemosyna ergo comprehendit omnem bonum vsum temporarium bonorum, ieiunium bonorum corporis, oratio animae.

Cont. Trid.

Item per omnem virtutem ordinamur, vel ad Deum, vel ad proximum, vel quoad nos ipsos. Per haec ergo tria possumus Deo satisfacere. Et haec per illa tria membra significentur: nam per orationem ad Deum ordinamur: vnde sub illa comprehenduntur omnes actus religionis, etiam sacrificium, & confessio ipsa, quatenus satisfactoria est, & fit insul-

tum Dei, sub hoc membro comprehenditur. Item actus deuotionis, charitatis, & similes. Per elemosynam ordinamur ad proximum, & ad illam reuocatur omnis honestus actus, qui ad alterum tendit, & vt poenalis est, potest esse satisfactorius. Per ieiunium bene disponitur homo in se ipso, & sub illo comprehenduntur omnes corporis afflictiones, imo & passiones omnes extrinsecus illatae, & patienter susceptae; ac denique omnes actus virtutum, quibus homo suos affectus moderatur. Potest etiam ille trimembris diuisio accommodari ad illam trimembrem diuisionem peccatorum, quae est apud Ioan. 1. Canon. c. 2. scilicet, de concupiscentia carnis, cui opponitur ieiunium, & concupiscentia oculorum, cui opponitur elemosyna, & superbia vitium, quam frangit oratio. Et haec de his duabus diuisionibus.

Aliae diuisiones actuum penitentiae.

Tertia diuisio exterioris penitentiae esse potest, quod alia requiritur ante baptismum, & alia post baptismum. Quarta esse potest quod post baptismum, alia est mortalium, alia venialium peccatorum. Quas virtutes tradidit Augustinus; & eas exponens D. Tho. infra q. 90. art. 4. dicit pertinere ad penitentiam, vt est virtus: propter quod earum expositio videri possit ad hunc locum pertinere; tamen quia commodius id fiet in commentario illius articuli, vsque ad illum locum differenda est. Alia item diuisio hic dari possit de penitentia exteriori secreta, vel publica; communi, vel solenni. Sed satis conflat haec omnia membra solum accidentaliter differre, quod attinet ad rationem virtutis: solumque possit in illa partitione desiderari quando expediat hoc vel illo modo externam penitentiam agere, vel an possit esse debitum agendi potius penitentiam publicam, quam secretam, vel de conuerso. Sed haec dicentur commodius infra agendo de praeccepto, & de sacramento Penitentiae. Item tractari hic possit de ritu solenni penitentiae, sed hic ritus prout pertinere possit ad sacramentalem penitentiam, iam non est in vsu, & ideo ritus eius omitteri a nobis possit: infra tamen suo loco illum attingemus, & videri potest Bellarmin. lib. 1. de Penitent. cap. 21. & 22. vt vero est in vsu, non spectat ad Penitentiam voluntariam, de qua agimus, sed ad poenam, & vindictam quam per publicam Ecclesiae potestatem nonnulli peccatores interdum agere, vel potius sustinere coguntur.

D. Thom.

Bellarmin.

ARTICVLVS II.

Vtrum penitentia sit specialis virtus.

Secundum sic proceditur. Videtur quod penitentia non sit specialis virtus. Eiusdem enim rationis videtur esse gaudere de bonis prius actis, & dolere de malis perpetratis. Sed gaudium de bono prius factio, non est specialis virtus, sed est quidam affectus laudabilis ex charitate procedens, vt patet per Aug. 14. de Ciuit. Dei: vnde & Apost. prima ad Corinth. 13. dicit, quod charitas non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. Ergo pari ratione nec penitentia, quae est dolor de peccatis praeteritis, est specialis virtus, sed est quidam affectus ex charitate procedens.

Præterea, Quilibet virtus specialis habet materiam specialem: quia habitus distinguuntur per actus, & actus per obiecta. Sed penitentia non habet materiam specialem: sunt enim eius materia peccata praeterita circa quamcumque materiam. Ergo penitentia non est specialis virtus.

Præterea, Nihil expellitur nisi a suo contrario. Sed penitentia expellit omnia peccata. Ergo contrariatur omnibus



4. d. 14 q. 1.  
a. 1. q. 2. 3. &  
4  
Lib. 14. c. 7.  
a medio 10. 54